




XVI, 31-42



XVI,33
Melchiaris Pudlovii
Oratio
pro Rep. & Religione
MS 62



1.
MELCHIA
ris Pudlouň O=
ratio pro Rep.
& Religione ad
Magistratũ Po
loniæ.

XVI, 33





HOC asini caput, hoc, nō simplex esse putato:
 Stemmata pro claro Volscius istud habet.
 Illius hoc caput est, qui Christum saepe solebat
 Ferre suo dorso, stemmata digna satis.
 Insuper hic asinus, natum de uirgine Christum,
 Cum boue cognouit: gloria prima Dei.
 Non tibi sit mirum si noster Volscius æquè
 Agnoscat Dominum, fert pius, atq; colit.

Reues

2
REVE

RENDISSIMO

IN CHRISTO PATRI, ET DO-
mino, Domino Nicolao Vol-
ski, Dei gratia Episcopo Chel-
mensi, designato Vladislaviensi,
& Pomeraniæ, domino suo co-
lendissimo Melchiar Pudlouski
Salutem plurimam optat, suarū
obsequia fidissima diligen-
tissime commendat.



VMIS ET E
piscopus & uir sis: qui
Reipublicæ salute, et
religionis, ipsiusq; ueri-
tatis studio, nihil prius & antiquius
apud te habeas et constituas: tantoq;
labore & uigilijs in eam partem in-

cum

cumbas: ut nemini in munere et Reipub. & religionis suslinendo concedere uideare: deniq; omnes morum & literarum honestarum studiosos summopere complectare: non abs re facturum me arbitraturus sum: si sub tuo nomine Orationem hanc meam de Religiois Reiq; publicæ negotio scriptam, in publicum ederẽ, tibiq; dedicarem. Nam cum in hac oratione ueritati studendum, quæ sane res odium plerumq; parere multis solet: & non fucatis speciosisq; uerbis indulgendum instituissem: certò mihi persuaseram, me etiam aliquid, de hac ipsa inuidia pro ueritate reportaturum: maxime quod uerbis quibusdam ad orationem non omnino accomodatis utar: planeq; in

genere ipso scribendi liberior sim:
 non satis tersi & minus Ciceronia-
 ni scriptoris nomen relaturum: fa-
 cile istorum uoces & inuidiam, tuo
 fretus praesidio possem contemnere.
 Si enim ueritatis causa in me iniqui
 esse uellent: & me ipsi nimium indul-
 sisse grauius ferrēt: te protectore ni-
 hilerunt. Is enim es, qui me ab il-
 lorum conatu & maleuolentia pro-
 tegere possis. Nam de orationis sty-
 lo non multum laboro: quippe, cui cō-
 silium non fuit, uerborum ornamen-
 to, sed ueritati inseruire. Qui si
 sibi constabunt, nihil aut parum me
 peccasse iudicabūt: ueritas enim sim-
 pliciter, nullo adhibito colore ince-
 dere solet: nec omnino splendidum,
 uerborum apparatus requirit ac

A iij postu

postulat. Sed de his haecenus. Tu
praesul amplissime, pro summa tua
prudencia, & in rebus omnibus so-
lerti dexteritate, melius ea omnia ui-
des: quibus haec Respub. & Reli-
gio uetus perturbatur: et de praesen-
ti tuo iudicio facilius ad ea sananda,
remedia inuenire possis: quam ego,
qui necdum ab aetate, nec ab ipso u-
su, ipsa denique eruditione, ita in-
structus sum, ut de tantis rebus iudi-
cium a me quiuis merito expectet.
Haec enim quae a me scripta sunt: hu-
iusmodi sunt: ut ab omnibus etiam
mediocri ingenio praeditis intelli-
gi & bene perspicere possint: & quae
ab alijs usu rerum & ingenio ualen-
tioribus, latiora reddi non difficile
poterint. Si porro haec mea scripta
quali

qualiacunq; illa sunt: à me, præsul am-
 plissime, benigne acceperis, ad maio-
 ra facillime, non modo me, qui nullus
 plane sum, sed alios quoq; excitave-
 ris. Deum optimum maximum pre-
 cor: ut te diutissime & ecclesie sue
 sancte sospitem, et Reipub. nostræ
 felicem seruet. Datum Cracc: nonis

Maij, Anno Domini

M. D. Lxij.



IACOBVS GOR.

SCIVS MELCHIARI PVDLOVIO

S. P.



RATIONEM TVAM, QVA
et Reipub. et Religionis auita, casum
et ruinam presentem deploras:
Suanissime Pudloui, perlegi. quae u-
trum mihi plus uoluptatis an doloris attulerit. nō
dum plane constitui. Non mediocrem equidem in
de uoluptatem capi: quod tibi, quem ego unice as-
mo, cuiusq; ornamentis faueo: inter tot occupatio-
nes, quas apud Principem tuum sustineas, studia bo-
narum litterarum, praesertim uero dicendi, quae uel
maxime ingenium hominem deceant: curae non me-
diocri esse: ac te horas succisuias, non compotatio-
nibus, non alea, ut nunc in aulis passim fit: sed in
hoc honestissimum studium conferre cognoui: teq;
qua lege nascamur memorem esse non difficile per-
spexi. Nam quid reipub. quid religioni debeas, te a-
gnosceret: haec tua oratio aperte declarat. ad cuius
salutem tanta cura, et studio incumbis: nec uereres
quid de ea sentias, libere pronunciare: ac quid à te
uiro patria praesidij expectare debeat: iam nunc ea
aetate testatum relinquere. Sed illa tua calamitatū
quibus Respub. premitur, ac tempestatum quibus
iactemur commemoratio, non minorem mihi dolo-
rem attulit. quod, cum quibus in periculis simus:

qua

5

que mala capitibus impendeant nostris: monstras
ac plane ante oculos statuis. qui quidem dolor, alti
us in pectore meo radices ageret: nisi singulari De
i Optimi Maximi misericordia erga nos, princi-
pes tuos uiros magnificos, Nicolaum Vlatislauia et
Pomerania Pontificem designatum, & Stanislauum
Castellanum Brzezinensem Volscios, gubernaculis
publicis admotos esse, uiderem: in quorum uirtute
acquiescamus, ac in portum illum è quo tot tantisq;
Reipub. fluctibus abrepti sumus, ijs ducibus perueni-
amus. Neq; enim obscurum est, Pudloui, quam ani-
mis generosi principes tui sint: quam in periculis
constantes ac firmissimi: quam in consilijs capiun-
dis prudentissimi: quam Reipub. quam religionis
amantissimi: quam pacis & ocij cupidissimi. Vtinã
Pudloui, tales multos aliquando Respub. habeat;
profecto tranquillitatem eã, qua patres nostri per-
functi sunt: non diu desiderabimus. Sed principibus
tuis missis: de quorum uirtute breuiter, pro dignita-
te eorum dici non potest: ad te redeo consiliumq;
tuum istud, & cum bonarum literarum tum uero
salutis publicæ ac uincæ Christi curam & amorem
uehementer amo. Quam ad rem ut eo diligentius
incumbas etiam atq; etiam te hortor. Equidem con-
siliij te huius poenitebit nunq̃. Vale. Datum

ab Academia Craconiæ 6. Idus Au-
gusti. Anno Domini.

1562.

B

LAVRENTIUS GO
SLICKI AD MELCHIOREM PV
dlouium.

DVM ueteres reuocas mores & facta senatus,
Publica quem tangit cura laborq; rei.
Efficis ut lecto, Pudloui docte, libello:
Agnoscat mores quisq; legatq; suos.
Ipsa dedit uires tibi nunc Respublica tantas:
Insuetis multum sollicitata malis.
Scilicet ut flectas animos, & corda, senatus:
Sit memor officij, iusticiæq; suæ.
Imperium partum est uirtute & fortibus armis
Quondam: nunc foedæ seruit avaritiæ.
Priuatis inbiant rebus, sua commoda cuncti
Venantur, uires multiplicantq; suas.
Libertas oppressa iacet, quam sanguine & armis:
Nostri uictores emeruere patres.
Ut tamen hanc reparent, pereat quã tota potestas:
Nemo est crede mihi, qui ferat auxilium.
Ergo age Pudloui, durum rogo flecte senatum:
Huic tempestati, consuluisse uelint.
Ne pereant cuncti, pereuntibus undiq; rebus
Subueniant, casum non procul esse sciant.

6

❖ ORATIO ❖
PRO REPUBLICA
ET RELIGIONE.



QVM RES NO-
stras iam huc delabi
videamus: vt nihil
nisi pericula metuen-
da, et vltimum plane
salutis nostræ discrimen nobis subeun-
dum expectandumq; sit: non mirum
videri debet cuiquam: si quiuis tenuis-
simus licet: de salute, & tranquillitate
communi, in qua sua contineatur, ver-
ba faciat: cū impendenti periculo ex-
citus, cum timore quidem, ex animo
tamen, rebus suis consultum esse cupi-
at. Neque enim quisquam est tam
a sensu alienus, qui & non avidissime
tutus esse velit: & quem discrimen vi-
tæ non moueat adeo: vt omnibus re-
bus postpositis, salutis suæ nõ consulat:
tantumq; restaurandæ & recuperans
B ii da stu

dæ studeat. Si enim is sit, qui imminēs
malum sciens vidensq; non vitauerit:
profecto non solum a ratione homini
bus natura indita discedere: sed etiam
belluas ipsas feritate superare videa
tur. præsertim, cū mortalibus ipsis id
a natura tributū sit: vt se vitamq; suā
tueantur declinantq; ea, quæ ipsis no
citura viderentur. Bruta quoq; ipsa,
deuitare quæq; pericula videmus. Ve
rū enim uero, & si neminē esse existi
mo, qui salutis suæ iacturam, & graui
us aliquod periculum nō pertimescat:
nescio tamen, quo pacto fiat: vt multi
inueniantur, hi præcipue: ad quos Re
ipub. cura spectat & pertinet, ita ob
durati: vt cum turbulentissimo in ma
ri vna nobiscum sint: tamen in trans
quillissimo portu se esse putent, atq; ita
in id incumbere negligunt: quo & se
ipfos & ipsam Rempub. ex impenden
tibus malis eripiant. Quæ quidem
Respub. a nobis ipsis ita misere affli
cta, tam grauiter vulnerata: vt vix ali
quando respirandi spes illi relicta via
deatur. Ergo nobis etiam minimis ta

cendum est: ac parēte nostra Repub.
 faucia relicta, omnibus armis reiectis
 certamine cum summa & turpitudi-
 ne nostra & pernicie præsentī excedē-
 dum: Minime equidem. Nam et simul-
 ta sint, que malam spem simul & timo-
 rem nobis ingerant: non est tamen no-
 strum malis instantibus succumbere:
 & periculis ipsis non vltro pro patria
 sese exponere: quin potius decet: om-
 nes modos, omnes vias, omnes deniq;
 rationes quibus & ad spem bonam
 perueniamus, & timorem propulsemus
 peruestigare: atq; ad salutem &
 nostrā & Reipub. toto studio incum-
 bere. neq; video quod illius vulneris
 aliud remedium adhibere possi-
 mus: quam vos appellare, vos ob-
 testari: vt tam misere afflictam ac in vl-
 timo discrimine positam parentem ve-
 stram Rempub. respiciatis, vestrum
 consilium desiderat: vestrum patrocini-
 um implorat: ad vos qui mens Re-
 giæ Maiestatis estis manus supplices
 tendit: ne se tot malis afflictā tot vul-
 neribus confectam deseratis. vestrum

B iii hoc

hoc officium est, qui ad Rempub. gubernandam acciti estis: vt rerum suarum oblit, publicæ vtilitati & tranquillitati seruiatis. Sed (o corruptos hominum mores) quis est: qui non potius priuatae quam publicæ rei studeret: aut qui ex animo nobis omnibus pro officio suo consultū esse velit. Nihil fingo o Magistratus: ita se rem habere, opes vestræ immensæ: nostra autē mala, calamitates, anxietates, paupertas, iniuriæ, liquido id docent. que nos ita fatigarunt, vt multi sint: qui vitam morte acerbiores ducant. Nisi porro Comitia in hoc tam periculoſo tempore & medijs nostris miserijs indicta fuerint: facile iam ab omni spe futuri boni decidemus. neq; enim in hanc opinionem perducemur: vt credere vellemus, & Rempub. ipsam diu stare posse, & nos ab istis molestijs quandoq; liberos futuros esse. Hęc enim sola & vnica via restat: quæ nos in tranquillum deducere, & omnes modos, quæ ad comunē pacem perturbandam faciunt, præcludere possit.

sit. Quid igitur adhuc expectatis? aut
 qua spe salutis tenemini? Si enim dimit-
 titis hoc tempus: vos ipsos vna nobis
 scum sustinendi: ad quæ vos reserua-
 tis: aut quomodo tandē amissa (quod
 Deus omen auertat) libertate salui es-
 se poteratis. Nunc tempus est, si quod
 ante fuit: q̄ de salute huius Regni di-
 ligentius consulere vos oportet. Res
 autem vestræ sunt huiusmodi: vt non
 expediat, in iuuandis illis diutius con-
 silia differri. Aperite modo oculos, &
 inspicite diligentius: videbitis nunq̄
 nos propiores fuisse tantis periculis:
 quam nunc sumus. Quid enim boni
 hoc tēpore audimus? quid sentimus?
 quid deniq̄ videmus? nihil omnino.
 Extra enim hostes nobis instantes,
 minitantesq̄ grauem, miserandam, &
 fædam seruitutem: Intra vero, legum
 contemptum, negligentiam magistra-
 tus, simulationem præfectorum, libi-
 dinum vim, odia intestina, cædem, ras-
 pinas, homicidia, pauperum oppressi-
 onem. Quid: hæc nos saluos esse sinēt?
 hæc Rempub, nostram diu stare per-
 mit-

mittent? Imo vero, misere afflictam su
o flore & robore destituent: nisi vos,
qui illius curam suscepistis, & qui pas
tores rectoresq; a Deo nobis consti
tuti estis, tantis malis obuiam ieritis.
Sed fortassis, cupit ex me aliquis, que
sunt hec, que tã diligẽter officiũ magi
stratus requirãt, ac plãe exposcãt, au
dire: Exposcit hoc expilatio bonorũ,
exposcunt calamitates, exposcit deni
q; cruor et sãguis noster. Multi enim
erant, qui a multis añis litibus assidu
e vacantes, cum facultatibus & ipsam
vitam amisere. Reperies plerosq;, a
potentioribus ita afflictos: vt omnia
bus rebus exuti, vix quo vitam suam
sustentẽt habeãt cãteros, qui nec ha
beãt vñ vniant, atq; ita litibus exhau
sti, mendicare coguntur. Nemo tamẽ
est, qui finem se adeptum, & ius suum
assequutum esse dicat. Deniq;, tante
cãdes fiunt. cuius rei vos etiam ipsi te
stes mihi esse potestis: vt nihil tutum
cuiquam, etiam domi suã sit. Fiunt do
mus inuasiones, rapinã publicã, ho
micidia, & spolia multa, vt fletum &
lachrimis

9
lachrymas miseris exprimant tantas
vt etiam æthera penetrare credatur,
vos tamen nihil hæc mouent. Audite
ergo cetera. Parentes liberis non par-
cunt: hospes ab hospite tutus non est:
in patrem filius, in matrem filia sine
vlllo discrimine seuit. Parua est hæc in-
iuria o Magistratus? Non parua sane:
tamen vos, in tanta tempestate ac flus-
tibus veluti in tutissimo portu, in va-
trancæ aurem dormitis. Non existis
metis velim vos, qui a Deo præfe-
cti estis, ipsum Deum æquissimum
& terribilem iudicem, pœnas a vos-
bis non exacturum, atque de manibus
vestris, sanguinem & iniurias no-
stras non flagitaturum? Certenon ad-
huc finem, neq; ea de causa Magistra-
tus & Consilarii præficiuntur, vt dor-
miant, vt bona publica negligant: sua-
curent: simulatione vtantur, æs cumu-
lent, miseros a potentioribus affligi
& affici paciantur: sed vt vigilant, vt
bonum publicum concordēs spectent,
simulationem eliminent: candorem et
integritatem ab exilio reuocent: affli-
ctos

ctos iuuent: liberalitate in egenos vtā
tur: iura pauperis non erripiant: imo
vero, ea & ipsi obseruent, & alios ob
seruare impellant, vniucuique mores
& facta inspiciant: seditionibus vias
præcludant: iuste iudicent & decer
nant: iura & iusticiam non vendant:
in iudicio & senatu æquitatis non a
micorum non pecuniæ rationem du
cant: exemplo aliis ad honestissima
quæq; sint: sed (o nostri temporis per
niciem) qui exemplo aliis esse debēt,
ii potius scandalo sunt: Non enim a se
ditionibus ipsi abstinēt, imo vero is
psarum seditionum principes sunt, op
primunt debiliores, omne ius et equū
subuertunt, rei priuatæ & pecuniæ
cumulandæ student: atq; inde beatio
res se maioribus suis putant, quo ipsi
pleniores acervos pecuniæ cumula
uerint, diuitias auxerint, magnificen
tiora tecta extruxerint, vasa, supple
ctilem deniq; splendidiorē nacti fue
rint. sed falluntur A Edepol, tametsi e
nim maiores ab his superantur vestis
tu, villis, edificiis, certe multa sunt, ea
que

10

que præclara magis, quibus merito
superiores haberi debent. Omnes nam
que curas suas & studia ponebant, in se
rentis bene & libere dicendis: in liber-
tate patriæ tuenda: in odiis extinguen-
dis: denique eo modo alter cum altero
de virtutibus certabant: ut intelligen-
rent homines: quis esset melior, non
qui Senator ditior. Et hac ratione,
Reipub. ipsam semper florentem con-
seruabant. Quo etiam modo, si ad ex-
teras gentes & populos, oculos con-
uerterimus: regna & imperia conser-
uata, malis artibus deinde collapsa
esse constat. Exemplo nobis sit Ro-
manum amplissimum illud Imperium:
in quo, cum iusticia, leges omnes, pu-
blicæ rei cura, priuatæ contemptus
vigeant, boni mores colebantur: de-
nique pro virtute ciues inter se certas-
sant: tutissima omnia fuere, postquam
autem pro æquitate iniusticia, pro les-
sibus vis, pro Reipub. cura, priuatũ
studium irrepsere: ac pro viciis certa-
re ceperunt, simul cum ipso imperio
omnes periere. Quid: putatis vos vi-

ista ista, seu artes malas, non eandem
quoque vim apud vos habituras, quam
apud Romanos olim habebant: utinam
autem non habeant, id nos ex animo
optamus, sed mihi credite, tantam vim
victorum esse, ut nihil esse possit tam
firmum tamque bene munitum: quod
non ipsis prosterni ac profligari que-
at. Si enim Cæsar & Pompeius de sua
superbia & ambitione, ipsa denique au-
aritia aliquid demississent, ad ipsam-
que concordiam animum inclinavissent:
& rebus propriis, publicam salutem
præposuissent: profecto nec seipsum,
nec ipsum statum, florentissimæ Reipub.
in id discrimen perduxissent. Iacet
ergo Imperium amplissimum quod-
dam & augustissimum, non manu hos-
tili: non armis externis, sed ipsis vitis-
is ac dissensione interna prostratum.
Ne autem & nos, ad hunc scopum per-
ueniamus scilicet, ne pulcherrima li-
bertate ammissa, tetram scedamque ser-
uitutem aliquando seruiamus, ad vos
supplex manus tendit patria commu-
nis: vobis se, vobis vitam omnium no-
strum,

11
strum, vobis aras, penates: vobis omnia
templa Deorum atque delubra com-
mendat: atque hoc vos per liberos at-
que parentes vestros rogat, subvenite
afflictæ, ite obviam iniuriæ, nolite pa-
ti regnum hoc per socordiam et vicia
tabelcere, consulite vobis, prospicite
patriæ, conseruate vos, coniuges, libe-
rosque & fortunas vestras, Regni Pos-
loni nomen, salutemque defendite. Non
minus autem vobis consultandum est
de externo, quam de interno hoste: ne-
que putetis hoste domi inclusio, foris
vos bene bella gesturos: cum domi pax
firmari, & non aliunde peti debet. Sed
vos speratis fortasse, nihil hic vobis
timoris superesse, et non restinctis do-
mi odiis atque inimiciciarum scintillis
pro animi sententia bella vos confes-
cturos. At nobis contra videtur, quo-
modo enim foris tuti bene eritis, si do-
mi tutum nihil vobis erit? Domi ho-
stis est, intus inclusum periculum est:
cum luxu & auaritia, aliisque sceleribus
nobis certandum est: quæ ita nos
possederunt, ut facilius hostis exter-

externus profligari, quam hæc fran-
gi possint. Quæ est enim illa vestitus,
cibi, & alia id genus superfluitas? que
vero in cumulâda peccuniâ auiditas?
Vix hic poterit tam cito acquirere,
quam ille eripere paratus est. Id igi-
vnum vobis ante oculos proponite,
vt pacem primo intra regnum firme-
tis, iusticiâq; radices optime figatis:
incumbatis deniq; in id, iisdẽ animis,
vocibus & volûtate, quo amissa re-
cuperentur, debilitata confirmentur,
diminuta augeantur, negligentia col-
lapsa, summa diligentia & studio repa-
rentur, suoq; loco mota restituentur:
tum demum omnes res, etiã belli ne-
gotium, nobis ex animo cedit: alioqui
frustra conamur, suis relictis aliena i-
re oppugnatum. Cum autem nihil be-
ne non modo perfici, sed ne aggredi
quidem, sine singulari Dei benignita-
te possit: huc animos vestros intendi-
te, vt ipsa Religio (sine qua nihil fir-
mum et tutum in Repub. esse villo mo-
do esse potest) a patribus nostris in-
violata culta & obseruata, in suis stet
sedibus

sedibus: quam licentia hominum ad
 hunc scopulum perduxit, ut laniata atque
 discissa a multis non modo retineatur,
 sed ne agnoscat quidem. Quid: par-
 citur delubris Deum? imo vero orna-
 mentis suis arae Divum spoliantur, fa-
 na, quae nostri maiores religiosissimi
 mortales fecere, subvertuntur: atque ita
 longe in hac re progreditur, ut liceat
 cuiquam impune, fana & locos sa-
 cros deturpare, irridere, & (horres-
 sco referrens) ipsos denique diuos con-
 temnere, blasphemareque: ac quod om-
 ninim maius est, omnia haec REGE cum
 Senatuspectante fiunt. Quae est ista tu-
 a coniuventia o Magistratus? in ore
 omnium vestrum haec fieri permittitis?
 vestram auctoritatem, quilibet tur-
 pissimus licet & sceleratissimus ludi-
 brio habet, o tempora, o mores. Divi-
 nae res in praesentia Senatus, ipsius et-
 tiam REGIS subvertuntur: & haec quis
 pro arbitrio suo in hanc & in illam
 partem inclinare non timet. Haec sunt
 abhominandae faces, haec sunt ille flam-
 ma, quibus exarsurum est hoc Regnum
 Diu

(Dii hec penitus auertant) sperandū
sit. Nam Deus ipse, si quod fert, hoc p
fecto scelus nequaquam ferre potest.
Minatur enim omnibus Regnis per
Prophetam voce terribili: vt nisi per
manerint in fide, corruant fæda rui
na. Ad hanc vocem euigila o Magi
stratus: occurre malo tam lato per tu
am conniuentiam incenso: sicq; habe
to, nihil intollerabilius existimari &
inueniri vnquam posse: quam inferre
delubris, Deorum immortalium, sce
leratas faces: nihil indignius dici, quā
vitam a patria susceptā, ad illius pers
nitiam calamitatemq; conferre. Per
petratur hæc omnia die hodierno: o
nesq; concorditer, & Deorū templis
vim inferre, & patriæ salutē eripere
conantur: sed hæc te duce & autore o
Magistratus. Non enim in ipsis prin
cipiis obstitisti: neq; putaras primum
omnium fuisse, autores malorum isto
rum multare pœnis scæleribus suis di
gnissimis: clademq; omnium crudelise
simam e visceribus Reipub. propulsa
re. Non tenuisti exempla maiorum,
atq; om

13
atq; omnium gentium auctoritatem,
qui semper summas, ac singulares pœ-
nas in eo genere hominum consumē-
das putabant: putantq;, qui rationes
habuissent, aut immutandæ præuaris-
candæq; religionis, aut conturbandæ
publicæ libertatis. Cuiusquidem pu-
blicæ pacis conturbatio, hinc potissi-
mum fit, cū religio perturbatur. Quā
autem sit terribilis ipsius religionis
immutatio (vt cæteras nationes omi-
mittā: & ad vicina veniam) monstrat
hoc nobis armis virisq; potens Ger-
mania: quę, dum prisca religione spre-
ta, nouum dogma sequitur, aras exter-
minat, matris sanctæ ecclesiæ iugum
tollerare recusat ad eandem venerat
metam, vt ipsa nisi arma conuerte-
ret: quot illis hominum millia ex re-
ligionis varietate cæsa: quot rura va-
stata: quot agri populati: quot gladii
sanguine humano cruentati sunt: ita
certe, vt si externus hostis isthuc ad-
fret, maiorem vim illis & damnum in-
ferre non potuisset. Tu autem quid ex-
pectaso Polonia: Si enim hæc nobis

D lissis

lissima gens dignam pro factis retulit
pœnam, ne & tui, nisi quamprimū ex
ista colluuiē euolas, idē tibi euenire
speres. Varietas ipsa quoq; nō minus
exitio fuit regnis & dominiis multis.
Hac solā Græciā ab stirpe interiit.
Hac Romanorum imperium potentis-
simū concussū est, hac & alia mul-
ta Regna cecidere. Hæc est sola urbi-
um, Ciuitatum, regionūq; perniciēs,
pacis & tranquillitatis populatrix.
Nonne & hac abundat Polonia? imo
vel maxime omnium. Hic pbat sancti-
ta diuina patrū, ille idola esse clamat.
Placet hoc illi, displicet huic, delectat
licentiā carnis istum: ille vero eam ab-
ominatur. Quis non ingemiscat: tot
in partes Ecclesiam Dei dissectam esse
se videns? Tractantur res Diuinæ
a Cerdonibus, Piscatoribus, Sartoribus,
Coquis, & id genus hominum,
prophana manu ne dicā sacrilegā con-
taminantur. Magistratus vero quid?
pastores etiam quid? Magistratus si
quidem tacet, & tacendo quodam mo-
do malis rebus assentiri uidetur: pas-
store

14
stores autem ereptam sibi potestate
docendi clamant. Quid tunc postea erit
Magistratus officio suo deesse puta-
tur: & pastores ad quos hæc cura præ-
cipue spectat & pertinet, stertunt ad
mediam usque diem, genium curant, ru-
morem captant. O miseram Rempub.
in qua quisque pro libito suo vivit, et in
qua alter in alterius negocia impune
sele intrudit. Hoc igitur providete, ut
suo quisque sit intetus officio: ut qui sine
Coniliarii, honestum principis & ho-
num publicum concordem spectent: qui
mysteriis et sacris incumbunt: non im-
plicent se secularibus negociis: qui co-
cinatores & Theologi, recta doceant,
vicia insectentur, nec ultra Ecclesie
Septa ferantur. Romipetæ qui sunt,
viros probos & quietos non turbent:
Qui Iudices, iuste iudicent: qui iuris-
consulti, lites moderentur non serant.
qui causidici, non sint bilingues et præ-
uaricatores, qui præfecti, non deglu-
bant, qui conductores, non spolient.
qui mercatores, non fallant: qui arato-
res aratrum tractent, qui artifices o-

D ii pifio

pificesq; sunt, suis artificijs inſiſtāt. de
pellicula cerdo, non de diuinis aut pu
blicis rebus, nec ſutor vltro crepidam
iudicet. Quod cum factitatum primo
fuiſſet, profecto aliam rem pub. nunc
haberemus: & ſi nunc factum fuerit,
aliam, iamq; pulcherrimam breui ha
bebimus. Per omnia igitur, quæ ſunt
vobis in vita chariſſima, patria com
munis noſtra plorans vos obſecrat: p
uidete iterum atq; iterū, ne per igna
uiam ac ſocordiam periclitemur. Eri
pitem vitam omnium noſtrum a miſerā
da crudelitate protegite Magiſtrato
ueſtros ab inaudita ignauia & negli
gentia, & expergilemini obſecro, di
ligenterq; proſpiciate, vt populus aut
hic aut ille ſit, non ſint tot tituli, non
hic Papiſta, nō hic Luteranus aut Sa
cramētarius vocetur: ſed omnes vno
& eodem inſigni gaudeamus. quod
niſi feceritis, ecce hoſtes vndiq; no
bis inſtant, quos Deus vt ſpero: niſi
ad officium redierimus, in colla no
ſtra vindices miſit: & quaſi ſecurim
ad radicem poſuit. Spectant enim hi p
parie.


parietem ad nostras dissensionēs, nec
 iam seruitutem nostram amplius, sed
 irati sanguinem concupiscunt. quibus
 nihil prius esse poterit: quam cruor,
 quam flumina Christiani sanguinis,
 quam ante oculos trucidatio mortas
 lium. Moueat ergo iam vos impris
 mis metus vindictæ Domini pro vio
 latis templis, aut pro non exactione
 pœnarum de istis, qui templa violât.
 Moueat pulcherrima libertas, moue
 at iam instans periculum patriæ. Mo
 ueant bona & possessiones vestræ,
 moueat fletus & lachrimæ nostræ:
 moueant parentes, coniuges, liberique
 vestri. Moueant denique Dii penates,
 moueant aræ, foci, moueant fortunæ
 omnes vestræ, moueat etiam vos ve
 stra ipsorum salus. Enitemini id cons
 iliis, vocibus & uoluntate vna, vt &
 nos a tantis malis liberetis, & officio
 suo in hac rerum omnium desperatio
 ne satisfaciatis. Neque enim vos stare
 potestis nobis languentibus, ne
 que nos vobis deficientibus.

DIXI.




Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in approximately 15 horizontal lines.


DIXI
1850






XVI, 33







XI

BR

XVI WIEK

BROSZURY





